

Plurimum Reverendo Doctissimoque Viro,
Brand. Ludolph. Raphaelio

S. D.
Dav. Ruhnkenius.

Serius aliquanto, quam vellem, literis Tuis respondeo,
cum variis, quibus distineor, negotiis, tum maxime
itinere aliorum suscepto impeditus. Nunc cum rursus
aliquid otii nactus sim, putavi certiore Te esse facien-
dum, non solum praefationem et vitam, sed imaginem
etiam parentis Tui recte ad nos pervenisse neque nulla
nos perfudisse voluptate. In primis mihi arriserunt
ea, quae erudite et eleganter disputas ad illum
Johannis locum. Neque est dubium, quin omnium
qui de his rebus judicare possunt, punctum sic latu-
rus. Sed non aegre ferens, quae es humanitate, Vir pluri-
mum Venerande, ne in ultimo praefationis Tuae pa-
ragrapho et nomen meum, quod nimis laudibus
ornasti, delevisse, et alia nonnulla, quae ad rationem
editionis nostrae declarandam spectare putavi, multa
Equidem tantum pudii et industriae in emendandis

et digerendis parentis Tui Annotatibus posui, ut si nomen
 meum vel in ipsa libri fronte legi paterer, minime impu-
 denter fecisse viderer. Sed scito, hunc a me laborem, non
 ut ullam inde gloriam acciperem, sed ut tum animo
 meo Graecorum literarum amanti, tum etiam precibus
 bibliopolae obsequerer, esse susceptum. Accessit, quod
 hanc meam operam non ingratis esse viderem Ba-
 laronum Eruditorum longe Principi, Si. Hemperhusio,
 cui omnia mea minima maxima probari cupio.
 De cujus ergo patrem Tuum, τὸν μακροβίον, pudis est
 publica, quae in Notis ad Lucianum exstat, testimonia
 proferre possem, satis tamen, ut credas, erit dixisse, sum-
 mum hunc virum patris Tui, Viri, ut ipse dicere solet,
 candidi et eruditi, amore captum, non subterfugiose
 dum ego abessem, ingratis et fastidio plenam corri-
 gendi laborem. Cum igitur ille in partibus, quas ipse
 emendavit, diligentiam praesentem minorem, nec
 ego in partibus reliquis minorem, spondeo, hanc edi-
 tionem tam castigatam esse futuram, ac si ex Stephani-
 ana aliqua aut Etzeviriana officina prodiret. Pote-
 ram primum Annotationum Volumen, cuius nunc
 tantum titulum mitto, jam integrum ad te allegare.
 Sed, ut summius parcerem, omnia, quae tibi trans-
 mittere fuit, ad finem Voluminis secundi reservanda.

duxi; quod ego Mense Mart. aut April. primum relic-
 tum spero. De Arriani editione, quod doleo, spes fe-
 re omnis decollavit. Nimirum Batavia talis Blancardi
 et Gronovii editionibus abundat, ut nemo bibliopolarum,
 quos semper impuros lucripetas esse nosti, ad hunc auctorem
 denuo excudendum adduci possit. Vellem mihi ipsi res
 tam lauta esset domi, ut opus hoc ab heredibus emptum
 Bibliothecae meae inferere liceret. Fortasse enim talio
 tempore aliove loco paratorem offenderem bibliopolarum
 qui partem ingenii tam elegantem a tenebris, quibus alio-
 quin premitur, sempiternis vindicaret. At licet vix fe-
 rant rationes meae, offero tamen heredibus nummos
 tres aureos cum exemplaribus nonnullis, si quando opus
 typis exscribatur. Tu vero, Vir plurimum Reverende,
 quid vis videatur, mihi rescribe, et quod facis, favore
 perge. Etiam atque etiam vale. Dabam huc duni
 Batavorum. d. 9. Decemb. MDCCXLV.

Edidi hanc epistolam Praefatione praemissa Catalogo
 Scholarum in Univ. Wit. Dorpatensi habendam a d. XVI Jan
 1823. Morgenstern.